



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCLXIX. Der Bischof Dietrich bestätigt den Dietrich von Schulenburg als Dompropst, am 6. Sept. 1363.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

parte tricesime frugum omnium mansorum ville Markowe et Markede adjacentium et per ipsum dominum Wilhelmum annis singulis, quamdiu vixerit, retinendos et habendos ac in usus suos libere convertendos sic quod idem dominus Wilhelmus Kregenvut ecclesiam Markowe pro vita duntaxat sua habeat et habere debeat, liberam ab omni pensa et soluta. Cui pro nobis renunciamus pro vita sua sepedita salvo nobis unius talenti reddito pro certis annis memoriis in ecclesia nostra peragendis, quod talentum annis singulis ecclesie nostre in debitis terminis reservamus, annuendo adjicientes, quod, si contingeret eum aliquando locare aut permutare vel resignare aut alias qualitercunque relinquere seu dimittere ecclesiam ante dictam, Ad quodlibet eorum, in quantum ad nos pertinet, sibi prestabimus benevolam promotionem et favorem, ita tamen, quod ad vitam suam dicta quatuor talenta sibi salva manere debeant et ea percipere a quolibet rectore, qui pro tempore fuerit, singulis annis in quolibet festo beati Martini episcopi, sicut nos ea dinoscimur hactenus habuisse. Et nos Thidericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, ea, que prescripta sunt, auctoritate ordinaria nostri appensione sigilli in dei nomine confirmamus. Et nos Thidericus prepositus, Hinricus prior et capitulum ecclesie Brandenburgensis, nostra sigilla duximus appendenda. Actum et datum Brandenburg, anno domini M. CCC. LXII. in die beati Gregorii pape.

Nach einer Copie im Ältern Copiaro.

**CCLXIX. Der Bischof Dietrich bestätigt den Dietrich von Schulenburg als Dompropst,
am 6. Sept. 1363.**

Nos Thidericus, permissione divina Brandenburgensis ecclesie episcopus, ad perpetuam rei memoriam, recognoscimus et his scriptis lucide protestamur, quod, domino Thiderico, nostre ecclesie Brandenburgensis predictae quondam preposito, ut deo placuit, vita defuncto, felicitis memorie, veniens coram nobis honorabilis vir dominus Thidericus de Schulenburg, nostre ecclesie jam dicte canonicus, nobis electionis decretum exhibens de se facte reverenter; ex quo, verum etiam ex quorundam canonicorum relatione majoris ac evidentioris testimonii, ad nos cum eo eodemque facto de nostro capitulo dicte ecclesie missi, assertione palam clareque apparuit, ipsum in prepositum nostre ecclesie Brandenburgensis prelibate ab his, ad quos hujusmodi electio pertinet et pertinere dinoscitur, assumptum fore et concorditer electum, nobisque humillime cum debita reverentia supplicavit, quatenus electionem talem, de se rite et rationabiliter factam et celebratam confirmare, quemadmodum nostro congruit officio, dignaremur. Nos vero, sue humili ac juste petitioni annuentes electores suos aliosque, quorum intererat, per solemne proclamationis edictum ad nostram presentiam fecimus vocari, merita electionis et electi rite et canonice, prout debuimus, examinantes. Ceterum cum eandem electionem de prepositura memorata omniquaque invenissemus canonice celebratam ipsumque electum ad regimen prepositure antedictae nostre ecclesie Brandenburgensis idoneum et aptum, vite laudabilis et conversationis honeste, servatis omnibus his, que in confirmationibus, jure docente, servari consueverunt, per manum nostrarum impositionem ipsum dominum Thidericum memoratum in nomine domini in prepositum dicte ecclesie nostre Brandenburgensis confirmavimus et presentibus confirmamus, presentibus honorabilibus viris et discretis dominis: Gozwino de Wefenborch, plebano in Nowen, Ottone Noyl, rectore ecclesie beate virginis in monte, et Arnoldo, plebano in Zachow, nostre

ecclesie Brandenburgensis canonicis nec non strenuis ac famosis viris, dominis Henningo de Luderitz, milite, Johanne Vogelfak et Gerardo Koten, famulis, ad premissa vocatis. Datum et actum anno domini M^o. CCC^o. LXIII^o. sexta die mensis Septembris, nostro sub sigillo presentibus appenso in signum evidens premissorum.

Nach der Copie im ältern Copiaro.

CCLXX. Des Bischofs Dietrich Verordnung hinsichtlich der Erhebung der Zehnten in seiner Diöcese, vom 30. Mai 1363.

Thidericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus universis et singulis ecclesiarum rectoribus nostre diocesis sinceram in domino charitatem. Noveritis, quod hodie jus divinum et equitatem naturalem imitantes cum concordii consilio et consensu prelatorum et presbyterorum in Synodo nobiscum presentium statuimus, quod, ubicunque infra parrochiam aliquam nostre diocesis plebanus habet tricesimam carniurn et alius cujuscunque status laicus habet aliam partem decime carniurn, de cetero plebanus et laicus ille simul debeat colligere totam decimam, et de illa collecta plebanus debeat recipere tertiam partem pro XXX^{ma}. sua. Etiam ubicunque inveniuntur sex tantum capita decimandarum carniurn seu animalium, plebanus et alius decimam habens possit inde caput unum recipere et supplere precium equum secundum consuetudinem illorum vel vicinorum locorum illis, a quibus decime carniurn seu animalium sunt recepte. Item quod, ubicunque infra parrochiam aliquam nostre diocesis plebanus habet decimam vel tricesimam predialem, videlicet frumentorum et similium fructuum, domini vel coloni prediorum seu mansorum aliquos manipulos frumentorum et similium collectos non separent nec deportent prius, quam plebanus habeat decimam seu tricesimam manipulorum hujus sibi debitam designatam. Item quod parrochiani oblationes in festis principalibus videlicet nativitate Christi, pasce, penthecostis, et assumptionis beate Marie virginis gloriose, nec non dedicationis ecclesie sue et sancti patroni sui ad altare deo offerant vel aliter inde plebano suo satisfaciunt, quemadmodum voluerint animarum suarum pericula devitare. Quocirca discretioni vestre mandamus, quatenus hec in ecclesiis vestris vobis commissis diligenter intimetis et faciatis etiam per fratres ordinum mendicantium in sermonibus eorum et confessionibus publicari. Datum Seyeser, anno domini M. CCC. LXIII. die penultima mensis Maji nostro sub secreto.

Nach einer Copie im ältern Copiaro.

CCLXXI. Der Papp Urban V. giebt dem Domcapitel auf, einen Verstorbenen wieder aufzunehmen, am 30. April 1364.

Urbanus episcopus, servus servorum dei, filiis preposito et capitulo ecclesie Brandenburgensis ordinis sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Simon, lator presentium, canonicus vester, quem a vestra ecclesia, sicut asserit, rationabili ejectionis absque causa ad eandem desideret ecclesiam cum humilitate redire, universitatem vestram rogamus et hor-